



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

VII. De vulgaribus sacerdotibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

iuxta quod culpa fuerit, & ipsius ecclesiae dignitas: quia non omnes ecclesiae parem emendationis dignitatem habent, licet eandem sanctificationis benedictionem consequantur. Capitalis ecclesiae pacis fractio in rebus emendabilibus est sicut infractio regiae pacis, id est * quinque libris in Anglorum lege. Mediocris ecclesiae, centum viginti solidos, id est vuita regis: & adhuc minoris, vbi parua parochia sit, & atrium tamen sit, sexaginta solidos: & campestris ecclesiae, vbi non sit atrium, triginta solidos.

Christianis omnibus sincere conuenit sanctuaria & ordines & Deo dicata loca summa discretione, tota deuotione pacificare, custodire, venerari, iuxta modum singulorum; & qui scit intelligat.

IV.

Magnum est & mire praecipuum, quod ad velle Dei pro salute populi faciendum creditur sacerdoti, & magna coniuratio multaque benedictio est quae propellit diabolum, & in fugam redigit, quoties, diuina cooperante potentia, beatorum spirituum prosequente custodia, per manus temporalium sacerdotum sacri baptismatis vel eucharistiae sacrosancta mysteria celebrantur.

V.

Si contingat sacerdotem regulariter viuentem aliqua criminum compellatione pulsari, se purget solus solum; si compellatio simplex sit; in triplici calumnia, cum duobus sui ordinis.

VI.

Diaconus regularis in simplici compellatione cum duobus, in triplici cum sex diaconibus se adlegiet.

VII.

Plebeius sacerdos, qui regularem vitam non habet, purget se sicut regularis diaconus.

VIII.

Si quis altari ministrantium accusetur, & amicis destitutus consacramentales non habeat, vadat ad iudicium, quod Anglice dicitur Corfined, & fiat sicut Deus velit, nisi super sanctum corpus Domini permittatur vt se purget.

IX.

Si quis ordinatus homicidii particeps consilio vel auxilio fuisse compelletur, purget se cum parentibus suis, quo-